

VINA MEDICATA.

Vinum absinthites.

℞. Summitatum floridarum siccarum Absinthii
utriusque mundatarum & incisarum, ana libras
quatuor.

Immitte in doliolum centum librarum capax.

Impleatur doliolum musto recenter expresso. Re-
pone in cella vinaria ad fermentationem. Hac pera-
cta liquorem decapula, & in vasis diligenter obtu-
ratis serva.

Simili modo parari possunt

Alia Vina Medicata ex Vegetabilibus.

Vinum absinthites quovis tempore
parabile.

℞. Foliorum exsiccatorem utriusque Absinthii,
ana drachmas sex.

Affunde Vini albi, libras quatuor.

Macera frigide in matrasso per viginti quatuor ho-
ras. Cola cum expressione, & filtra.

Vinum enulatum.

℞. Radicis Enulæ campanæ siccae & crassiuscule
tritæ, unciam unam.

Vini albi, libras duas.

Infunde per aliquot dies, identidem agitando.
Serva cum fœcibus.

Vinum febrifugum.

℞. Corticis Peruviani pulverati, uncias duas.
Vini rubri generosi, libras tres.

Macerentur saltem per hebdomadam in vase vitreo rite obturato, vas identidem agitando. Filtretur liquor usus tempore.

Vinum antiscorbuticum.

℞. Radicum recentium & minutim concisarum
 Raphani rusticani, uncias duodecim.
 Bardanæ, uncias quinque.
 Foliorum recentium Cochleariæ, }
 Nasturtii aquatici, } ana uncias sex.
 Becabungæ, }
 Fumariæ, }
 Seminis Sinapi, uncias sex.
 Salis ammoniaci pulverati, uncias tres.
 Vini albi, libras viginti quatuor.

Herbæ contundendæ sunt in mortario marmoreo, Terendum est etiam semen Sinapi cum aliquantula vini parte. Omnia deinde misceantur cum vino in cucurbita vitrea rite obturata, & digerantur per duodecim horas supra cineres calidos. Coletur liquor cum expressione, & servetur in lagenis recte obturatis.

Vinum scylliticum.

℞. Scyllæ siccatae minutim concisæ, unciam unam.
 Infunde per duodecim horas balneo maris, in Vini Hispanici libra una, donec liquor rubescat. Coletur per Chartam bibulam.

Vinum chalybeatum.

℞. Limaturæ ferri nullomodo rubiginosi, unciam unam. Vini albi generosi, libras duas.
 Digerantur simul, in loco calido, in vase vitreo satis capaci, per quinque sexve dies sæpius agitando. Dein requiescant viginti quatuor horis. Super-

natans vinum filtretur. Et vase clauso fervetur ad usum.

Vinum emeticum.

℞. Croci Metallorum crassiuscule triti, uncias quatuor. Vini albi optimi, libras duas.
Infunde, & serva.

Vinum aromaticum pro fotu.

℞. Species Decocti Aromatici superius descriptas.
Infunde per aliquot dies in Vini rubri generosi, libris quinque. Cola.

Vinum astringens pro fotu.

℞. Florum Rosarum rubrarum, }
Corticum granatorum, } ana
Balauftiorum, } drachmas duas.
Fructuum Sumach, }
Aluminis rupei pulverati, drachmam unam.
Vini rubri, libras duas.

Incisis incidendis, digerantur simul in loco calido per tres quatuorve dies, vase clauso. Cola cum expressione, & adde Aquæ vulnerariæ, uncias tres. Filtra.

ACETA MEDICATA.

Acetum rosaceum.

℞. Rosarum rubrarum semi expansarum, sereno tempore collectarum, & demptis calicibus, per tri-dium in umbra exsiccatarum, semi libram.

Aceti optimi, libras octo.

Insolentur per dies quindecim in vase vitreo ritè obturato. Acetum cola, exprime fortiter, filtra & serva.